



**A**Rmanaricus ob multas corporis et animi uirtutes rex Gothorum ( qui extra patriam regnum iam olim erexerant ) tricesimus primus electus fuit. Aliud enim regnum Gothi intra patriam in insula Scandiana iuxta Sueones gubernabant, id quod Ioannes Magnus Gothus in Septentrionali sua historia inculcat. Huius Armanarici uerò fines à mari Septentrionali ad Danubiũ usq; & Romanorum prouincias extendebatur, & regnum aliàs Dacia dicebatur. Is cum fœdus Romanũ obstaret, finitimas prouincias pacatas reliquit, & uersus Orientem in Scythiam progressus, omnia suo imperio subiecit, ita ut, Iornã de teste, à ple-

risq; Magno Alexandro compararet. Postea arma in Herulorum gentem iuxta Mœoticas paludes habitantes conuertit. Eos ingenti prælio uicit, atque superstitibus tributa dare coegit. Deinde Slauos & Vandalos aggressus deuicit, ac Esteonum gentem uastauit. Itaq; is amplum regnum nactus, anno 365. summis monarchis, qui unquam fuerunt, conferri potuit. Postea summa tranquillitate ad decimum supra centesimum ætatis annum pacificè uixit, donec tandem Hunni omnia depopulantes latissimum quoq; eius imperium molestarint. Ioan. Mag. lib. 6, cap. 23.